

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXV - N. 2

2003

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRIS 2003

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio ad quosdam Philippinae Episcopos Limina Apostolorum visitantes	149
Ex Adhortatione Apostolica post-synodali <i>Pastores Gregis</i>	152

EX ACTIS CONSILII

Adnotatio circa validitatem matrimoniorum civilium quae in Cazastania sub communis- tarum regimine celebrata sunt	197
QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	211
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS	213
PONTIFICII CONSILII PUBLICATIONES	213

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI	
Considerazioni circa i progetti di riconoscimento legale delle unioni tra persone omo- sessuali	214

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Locis et de Temporibus Sacris » (Sessio IV)	224
Schema Canonum « De Locis et de Temporibus Sacris deque Cultu Divino »	251
Coetus studiorum « De Locis et de Temporibus Sacris » - Series Altera (Sessio I)	270
NOTITIAE	297
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	299
INDEX GENERALIS	301

COETUS STUDII

« DE LOCIS ET DE TEMPORIBUS SACRIS DEQUE CULTU DIVINO »

Series Altera – Sessio I^a

(dd. 1-6 octobris 1979 habita)

Postquam Schema canonum « De locis et temporibus sacris deque cultu divino » Episcoporum Conferentiis, Romanae Curiae Dicasteriis et Universitatibus Studiorum Ecclesiasticis pro consultatione missum fuerat, 90 vota ab his Organis Pontificiae Commissioni Codici Iuris Canonici recognoscendo scripto pervenerunt, quibus animadversiones et suggestiones de Schemate canonum factae sunt.

Ad examinandas et perpendendas tales animadversiones, parvus aliquis Coetus Consultorum constitutus est in quo partem habuerunt: Exc.mus Rosalius Josephus Castillo Lara, Secretarius Commissionis, Exc.mus M. Ismael Castellano; Rev.mi Aloisius Alessio, Stephanus Mester, Stephanus Gomez, O.P., Josephus Belluco, O.F.M., Antonius Domingues de Sousa, O.S.M., et Petrus Abellan, S.J.

Munere Praesidis functus est Exc.mus Secretarius Castillo Lara et munere actuarii Rev. Voto, Officialis Commissionis.


Singulis Consultoribus distributus est fasciculus aliquis, a Rev.do Voto redactus, quo synthesis omnium animadversionum ac suggestionum ab Organis consultationis factarum praebetur.

Adunatio I^a

die 1 octobris 1979 habita

Ante omnia examinatae sunt animadversiones ordinis generalis quae ita enucleari possunt:

A. Nullum Organum consultationis sententiam negativam de toto Schemate in genere expressit. Plura Organa (20) sententias affirmativas de toto Schemate in genere dixerunt, etsi animadversiones circa alias normas non omiserint. Omnia alia Organa animadversiones circa instituta vel alias normas fecerunt, quin aliquod iudicium complexivum de toto



Schemate dederint; attentis autem eorum votis et suggestionibus ad canones perficiendos, licet arguere Schema ipsis placuisse iuxta modum.

Exitus consultationis ergo est quod Schema omnibus placuit iuxta modum.

B. Peculiares aliquas notas de Schemate plures in lucem miserunt ad suas sententias affirmativas corroborandas, quod nempe normae Schematis eminent claritate, simplicitate et brevitate et praeterea principium subsidiarietatis sapienter et prudenter in normis condendis servatum est. Schema spiritu oecumenico imbutum est et indolem mitis disciplinae redolere.

C. Pluribus item placuit criterium, quod Commissio secuta est, non recipiendi scilicet in novo Codice normas liturgicas nisi ipsae peculiarem rationem disciplinarem induant, quarum observantia exigitur non solum ad cultum rite ordinandum sed etiam et praecipue ad ordinem externum Ecclesiae fovendum. Quod minime significat alias normas liturgicas indolem legis non habere, sed tantum quod ipsae non in Codice Iuris Canonici sed in libris liturgicis, ab Ecclesia probatis, fuse praebentur.

Non defuerunt tamen qui dubitarent de opportunitate huiusmodi criterii, cum Codex careat hoc modo parte aliqua peculiari, legibus nempe liturgicis, quae magis congruunt cum indole propria Ecclesiae ut communis divino cultu consecratae.

Aliquod Organum consultationis praeterea vellet in Codice normas liturgicas praebere ratione practica, ut nempe totus complexus legum liturgicarum ordine systematico ac constanti terminologia habeatur.

De Consultorum sententia, criterium quod Commissio secuta est videatur esse optimum, quod traditioni CIC respondet et ideo in ipso persevereare debet. Ipsi Consultores tamen conveniunt circa propositum considerandi pro singulis institutis, attentis etiam animadversionibus Organorum consultationis, num aliquid addendum sit in novo Schemate circa materias quae non sint stricte liturgicas.

D. Nonnulli conquesti sunt eo quod in novo Schemate materia distributa sit modo conformi Codici Iuris Canonici vigenti, verbis ac notionibus adhibitis quae parum cohaerere videntur cum indicationibus Concilii Vaticani II, praesertim quod attinet ad actus cultus et actus sanctificationis, qui modo unitario considerare debent. Etenim, ut docet Concilium, «liturgia habetur veluti Jesu Christi sacerdotalis munera exercitatio, in qua per segna sensibilia significatur et modo singulis proprio efficitur san-

cificatio hominis, et a mystico Jesu Christi Corpore, Capite nempe eiusque membris, integer cultus publicus exercetur » (*SC* 7).

Consultores consciit sunt quod Schema, sicuti iacet, non satis respondet instantiis modo expressis, attamen ipse confidunt quod alia erit ratio iudicandi de aptitudine Schematis principiis Concilii Vaticani II quando dispositio canonum habebitur secundum novum ordinem systematicum totius Libri IV de Ecclesiae munere sanctificandi. Mens enim est transferendi Sectionem de cultu divino, una cum canonibus quibusdam generalibus, ad initium Libri IV, ut infra dicetur. Omnes Consultores praeterea concordant ut omni cura obtineatur uniformitas conceptualis et terminologica inter novos Ordines liturgicos et novum Codicem Iuris Canonici quod attinet ad sacram liturgiam.

E. De sententia quorundam Organorum consultationis in Schemate plures facultates conceduntur Episcoporum Conferentiis, paucae autem facultates conceduntur Episcopis. Consultores rationem huius suggestionis habere volunt, in singulis casibus, cum mente tunc tantum conferendi facultates Episcoporum Conferentiis cum opportuna videatur uniformis disciplina circa aliquam rem, in eadem regione instauranda.

F. Nonnulli dixerunt doctrinam huius Schematis cuidam visioni indulgere de oppositione inter sacrum et profanum, quae quidem secundum hodiernos theologos refutanda videtur.

Consultores censem talem animadversionem fundamento carere sive in suis praesuppositis doctrinalibus sive ad meritum Schematis quod attinet.

G. Nonnulli suggestiones particulares fecerunt circa lacunas quasdam implendas, nempe:

– ut fiat mentio librorum liturgicorum tamquam fontes normarum non mere liturgicarum tantum sed etiam iuridicarum. Consultores respondent id fieri in Normis Generalibus novi Codicis;

– ut repristinentur plures normae quae habentur in CIC, ex. gr. de violatione locorum sacrorum, de altaribus, de processionibus etc., Consultores concordes sunt ut de hac quaestione ratio habeatur in singulis partibus.

H. Ad terminologiam quod attinet, plures animadversiones fecerunt de uniformitate assequenda non solum inter varias partes Codicis, sed etiam cum libris liturgicis. Consultores hoc votum unanimes accipiunt.

De ordine systematico

Circa ordinem systematicum huius schematis plures factae sunt animadversiones, ratione etiam habita collocationis huius Schematis in toto Libro IV « De Ecclesiae munere sanctificandi ».

Plures proposuerunt novam ordinationem systematicam totius Libri IV, diversis tamen diverse opinantibus. Consultores seligunt duas sequentes propositiones novae systemationis materiae, quarum prima habebitur ut basis novi ordinis systematici, de altera autem ratio habebitur quoad partem quae inscribitur « de cultu divino in sacramentalibus ».

En Schemata ordinationis systematicae a Consultoribus selecta:

A. Liber IV: DE ECCLESIAE MUNERE SANCTIFICANDI

Pars I: *De Cultu Divino*

- * Sectio I: De Sacramentis
- Titulus I: De Baptismo
- Titulus II: De Confirmatione
- Titulus III: De Sanctissima Eucharistia
- Titulus IV: De Paenitentia
- Titulus V: De Unctione Infirmorum
- Titulus VI: De Ordine
- Titulus VII: De Matrimonio
- * Sectio II: De ceteris actibus Cultus Divini
- Titulus I: De Sacramentalibus
- Titulus II: De Exequiis ecclesiasticis
- Titulus III: De Cultu Sanctorum, Sacrarum Imaginum et Reliquiarum
- Titulus IV: De Voto
- Titulus V: De Iurejurando

Pars II: *De Locis et Temporibus Sacris*

- * Sectio I: De Locis Sacris
- Titulus I: De Ecclesiis
- Titulus II: De Oratoriis et Sacellis
- Titulus III: De Sanctuariis
- Titulus IV: De Coemeteriis
- * Sectio II: De Temporibus Sacris
- Titulus I: De Diebus Festis
- Titulus II: De Diebus Paenitentiae

B. CANONES GENERALES de Cultu Divino et de munere sanctificandi*Pars I: De cultu divino in sacramentis*

.

Pars II: De Cultu Divino in sacramentalibus

- Canones generales
- De funeribus et de sepultura
- De conferendis ministeriis
- Liturgia de verbo Dei
- Benedictiones

Pars III: De ceteris actis Divini Cultus

1. – De anno liturgico
2. – De Locis sacris
3. – De cultu sanctorum ...
4. – De precibus privatis et devotionibus
5. – De voto et iuramento.

De Inscriptione Libri IV

Nonnullis minus placuit inscriptio « De Ecclesiae munere sanctificandi », quia rationem habet unius tantum adspectus sacrae liturgiae, sanctificationis nempe hominum, omisso adspectu latreutico seu « culturali ». Ut duplex adspectus liturgiae innatur, suggestum est ut Liber IV inscribatur « *De munere sacerdotali Ecclesiae* », quia verbum « *sacerdos* » utrumque adspectum liturgiae exprimit. Hoc modo deerit certo parallelismus « docendi, sanctificandi, regendi », sed damnum obliviscendi adspectum latreuticum liturgiae videtur maioris ponderis quam res stilistica.

Eadem de causa alii suggesserunt ut Liber IV inscribatur « *De Ecclesiae munere Deum colendi et Christifideles sanctificandi* ».

Nonnulli vero proposuerunt ut Liber IV inscribatur « *De Cultu Divino* ».

Consultores suam sententiam exprimunt circa hanc quaestionem et fere omnes admittunt inscriptionem « *De munere sacerdotali Ecclesiae* » exactiorem esse, si ad doctrinam attendatur. Attamen si attendatur ad systematicam totius novi Codicis graves rationes suadunt ut retineatur inscriptio « *De Ecclesiae munere sanctificandi* ». Ratio enim praecipua novae distributionis materiae pendet ab illa tripartitione muneric Ecclesiae, munus scilicet docendi, sanctificandi et docendi, qua ratione ordinantur

varia capita etiam in Lege Ecclesiae Fundamentalii, praeterquam in novo Codice.

Rev.mus primus Consultor autem praefert inscriptionem « De Cultu Divino ». Consultores tamen conclusionem definitivam de hac quaestione remittunt ad Coetum « de ordinatione systematica Codicis », attento etiam voto alterius Coetus « De Sacramentis ».

His de quaestionibus generalibus disceptatis, transitus fit ad revisionem canonum iuxta animadversiones factas.

SECTIO I DE LOCIS SACRIS

Can. 1 (CIC 1154)

Loca sacra ea sunt quae divino cultui fideliumve sepulturae deputantur consecratione vel benedictione quam liturgici libri ad hoc praescribunt.

Attenta terminologia adhibita in novo *Ordo dedicationis Ecclesiae et altaris*, in canone dici debet: « ... deputantur *dedicatione* vel benedictione ... ».

Suggestum est ut dicatur « deputantur *dedicatione seu consecratione* vel benedictione... », ita ut non dispreat e Codice verbum « *consecratio* ». Consultores sunt contrarii, quia duplex terminus aequivocationem pareret; ceterum terminus « *dedicatio* » theologice proprius videtur.

Can. 2 (CIC 1155)

§ 1. Consecratio alicuius loci, quamquam ad Institutum vitae consecratae exemptum pertinentis, spectat ad Ordinarium territorii in quo locus ipse reperitur, non tamen ad Vicarium Generalem vel ad Vicarium Episcopalem sine speciali mandato; firmo iure S. R. E. Cardinalium consecrandi ecclesiam et altaria sui tituli.

§ 2. Ordinarius territorii, licet charactere episcopali careat, potest cuilibet eiusdem ritus Episcopo licentiam dare consecrationes peragendi in suo territorio.

Dici debet « *dedicatio* » loco « *consecratio* ».

Suggestum est ut dicatur « ad Instituta clericalia iuris pontificii » loco « ad Institutum vitae consecratae exemptum ».

Rev.mus secundus Consultor animadvertisit verba « quamquam ad regulares pertinentis » (can. 1155 CIC) habuisse valorem tantum cautelativum in ipso CIC, quia per se superflua erant, attenta vi generali canonis, tribuentis « Ordinario territorii » facultatem consecrandi loca sacra. Nunc autem, cum in novo Codice notio et ambitus exemptionis suam descriptionem habebunt, non est ratio retinendi illa verba « quamquam ad regulares pertinentis », ne quidem ad cautelam. Propositio haec placet Consultoribus et ideo supprimuntur verba « quamquam ad Institutum vitae consecratae exemptum pertinentis ».

Exc.mus Secretarius proponit ut dedicatio spectet ad Episcopum dioecesanum et ad illos qui Episcopo iure aequiparantur, uti fit in novo *Ordo dedicationis Ecclesiae*.

Consultores concordes sunt, tamen quaestio fit num addi debeat expresse « et ad eos qui Episcopo iure aequiparantur ». Rev.mus secundus Consultor censet hanc explicationem non esse necessariam, stante principio generali (cfr. « De Populo Dei », can. 233, § 2) circa illos qui iure Episcopo dioecesano aequiparantur. Aliis Consultoribus placet pro nunc haec verba addere, nisi postea in opere coordinationis totius Codicis superflua videantur.

Suggestum est ut deleantur verba « firmo iure S.R.E. Cardinalium consecrandi ecclesiam et altaria sui tituli », cum haec facultas potius spectet ad ius particulare (ad dioecesim Romae et dioeceses suburbicarias), dum in Codice agi debet de normis quae totam Ecclesiam respiciunt.

Consultores censent illa verba omitti posse attentis etiam Litteris Apostolicis *Suburbicariis Sedibus* et *Ad hoc usque tempus*, in quibus declaratur Cardinales nulla iurisdictione pollere in ecclesiis sui Tituli vel suaee Diaconiae.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut can. 2 una tantum § constet et formula ita redigatur:

« Dedicatio alicuius loci spectat ad Episcopum dioecesanum et ad eos qui ipsi iure aequiparantur; iidem deputare possunt quemlibet Episcopum, etc. ... ».

Propositio redigendi canonum una tantum § placet omnibus. Non placet vero ut dicatur: « ... iidem deputare possunt »; fit ideo aliqua discussio ad aptiorem expressionem eligendam; Exc.mus Secretarius praefert verbum « delegare », Rev.mus quartus Consultor praefert « designare », Rev.mus secundus Consultor proponit « munus committere ». Tandem omnes eligunt verba « munus committere » et formula canonis ita compleatur: « ... iidem possunt cuilibet Episcopo, vel, in casibus exceptionalibus, presbytero, munus committere dedicationem peragendi in suo territorio ».

Adunatio II^a
die 2 octobris 1979 habita

Huic adunationi praeest Cardinalis Praeses.

Can. 3 (CIC 1156)

Ius benedicendi novam ecclesiam, vel oratorium, vel novum coemeterium, si eiusmodi locus pertineat ad clerum saecularem vel ad Institutum vitae consecratae non exemptum, vel ad laicale, spectat ad Ordinarium territorii in quo locus reperitur; si ad Institutum clericale exemptum, ad Moderatorem maiorem; uterque vero potest alium sacerdotem ad hoc delegare.

Suggestum est ut dicatur generice « loca sacra », loco « novam ecclesiam, vel oratorium, vel novum coemeterium ».

Propositio omnibus placet.

Fit quaestio inter Consultores utrum benedictio locorum sacrorum reservari debeat Episcopo necne.

Rev.mi quintus, primus et tertius Consultores moderare vellent ius benedicendi prout proponitur in canone; Exc.mus Secretarius reservare vellet *Ordinario* loci ius benedicendi *ecclesias* tantum; Rev.mus sextus Consultor reservare vellet Episcopo dioecesano ius benedicendi *omnia loca sacra*, ita ut appareat relatio quae liturgice institui debet cum summo sacerdote qui est in dioecesi; Rev.mi secundus et quartus Consultores reservare vellent *Episcopo dioecesano* ius benedicendi *ecclesias*, uti fit in novo *Ordo dedicationis ecclesiae et altaris*. Post brevem discussionem plures Consultores vindentur convenire circa propositum reservandi benedictionem ecclesiae Episcopo dioecesano et benedictionem aliorum locorum sacrorum illis qui veniunt sub nomine *Ordinarii*; quare suffragatio habetur utrum placeat haec solutio necne:

Placet 4; non placet 2; se abstinet a sententia ferenda 1.

His dictis, Exc.mus Secretarius et Rev.mus sextus Consultor, communis consilio, ita canonem redigunt:

« *Loca sacra benedicuntur ab Ordinario; benedictio tamen ecclesiarum reservatur Episcopo dioecesano; uterque vero potest alium sacerdotem ad hoc delegare* ».

Haec formula omnibus placet.

Can. 4 (CIC 1157)

Non obstante quolibet privilegio, nemo potest ecclesiam oratoriumve consecrare vel benedicere; aut novum coemeterium benedicere, sine Ordinarii consensu.

Nonnullis videtur hunc canonem esse superfluum, stantibus cann. 2-3. Etiam Exc.mus Secretarius ita sentit, sed Rev.mi tertius et quartus Consultores censem canonem non esse superfluum, quia per ipsum designatur auctoritas cui competit iudicare de opportunitate dedicandi vel benedicendi ecclesiam vel oratorium.

Fit suffragatio utrum placeat delere canonem necne:
Placet 5; non placet 2.

Can. 5 (CIC 1158)

De peracta consecratione vel benedictione ecclesiae, oratoriive, itemque de benedictione coemeterii, redigatur documentum, cuius alterum exemplar in Curia dioecesana, alterum in ecclesiae archivo servetur.

Rev.mus quintus Consultor, attentis animadversionibus quorundam Organorum consultationis, proponit hanc canonis emendationem:

« *De peracta dedicatione vel benedictione loci sacri redigatur documentum, cuius alterum exemplar in Curia Ordinarii loci vel Moderatoris maioris, alterum in ecclesiae archivo servetur* ».

Exc.mus Secretarius proponit ut alterum exemplar documenti servetur in Curia dioecesana, alterum vero in archivio Instituti perfectionis vel in archivio ecclesiae.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut haec norma restringatur ad causas tantum dedicationis vel benedictionis ecclesiae necnon benedictionis coemeterii.

Haec novissima suggestio omnibus placet et norma ita, communi consilio, redigitur:

« *De peracta dedicatione vel benedictione ecclesiae itemque de benedictione coemeterii redigatur documentum, cuius alterum exemplar in Curia dioecesana, alterum in ecclesiae archivo servetur* ».

Can. 6 (CIC 1159)

§ 1. Consecratio vel benedictio alicuius loci, modo nemini damnum fiat, satis probatur etiam per unum testem omni exceptione maiorem.

§ 2. Si de ea legitime constet, nec consecratio nec benedictio iterari potest.

In § 1 dici debet « dedicatio » loco « consecratio ».

Nonnullis non necessaria videtur norma quae habetur in § 2, quaeque de dedicatione vel de benedictione ita agit quasi agatur de sacramento aliquo, quod iterari non possit.

Etiam Exc.mus Secretarius et Rev.mus tertius Consultor censem normam non esse necessariam.

Fit suffragatio utrum placeat delere § 2 necne:

Placet omnibus.

Suggestum est ab aliquibus Organis consultationis ut addantur normae de dedicatione altaris necnon de violatione ac reconciliatione locorum sacrorum.

a) Quoad altaria Consultores censem non hunc esse locum aptum de ipsis loquendi. Hic enim sermo fit de normis generalibus, quae omnia loca sacra tangunt. De altaribus vero, si quid peculiare dicendum sit, dici debet in Titulo sequenti, ubi singula loca sacra recensentur et de ipsis normae dantur;

b) quoad violationem et reconciliationem locorum sacrorum, Consultores concordant ut norma aliqua addatur ad huiusmodi lacunam, quae in schemate habetur, implemandam.

Rev.mus tertius Consultor animadvertisit de opportunitate alicuius normae circa execrationem locorum sacrorum, ita ut constet quando res aliqua non amplius sacra habenda sit. Nam incongruum esset repristinare normas de violatione quae importat suspensionem ad tempus effectuum dedicationis et benedictionis, et nihil dicere de execratione, quae plus dicit quoad effectus; attamen, addit Rev.mus tertius Consultor, in re de violatione ac reconciliatione, ratio haberi debet de participatione fidelium, qui valde « sacram » persentiunt; quare utile forsitan esset canonem aliquem confidere quo tribuatur Ordinario facultas edendi normas circa hanc materiam, attenta sive sensibilitate fidelium quoad actus loca violantes sive participatione ipsorum fidelium in reconciliandis locis sacris. Hoc modo

vitatur formalismus qui in hac materia occurri posset quando sive violatio sive reconciliatio non persentiatur a fidelibus.

Rev.mi quintus, sextus, primus et quartus Consultores convenire videntur sive circa necessitatem alicuius iudicij Episcopi de gravitate actionis iniuriosae contra sacralitatem loci necnon de gravitate scandali exinde in fidelibus exorti, sive circa necessitatem participationis fidelium in ritu reconciliationis. Hoc modo vitatur formalismus et praevalet potius ratio pastoralis.

Exc.mus Secretarius et Rev.mus secundus Consultor animadvertunt ad indolem propriam Codicis pertinere ut prostent normae clarae circa notio nem violationis et reconciliationis; curae autem pastorum erit vitare formalismum.

Exc.mus Secretarius praeterea opportunum censet ut normae de violatione et reconciliatione praevideantur pro ecclesiis tantum, sed alii Consultores extendere illas volunt ad omnia loca sacra.

Adunatio III^a

die 3 octobris 1979 habita

Exc.mus Secretarius et Rev.mus tertius Consultor praebent aliis Consultoribus formulas aliquas canonum circa sacralitatem, violationem, reconciliationem ac execrationem locorum sacrorum.

En textus canonum:

- 1) Textus Exc.mi Secretarii:

Can. 6 bis

Loca sacra ea decet reverenda quae eorum destinatio ad Dei cultum postulat, ideoque ea ad usus profanos, ne per modum quidem actus, destinare licet, nisi de licentia Ordinarii loci.

(Vel: ... ideoque ne ad usos sanctitati loci alienos destinentur, nisi de licentia Ordinarii loci).

Can. 6 ter

Loca sacra violantur per actiones graviter iniuriosas cum scandalo fidelium ibi positas, quae de iudicio Ordinarii loci ita graves et sanctitati loci contrarias sint ut non liceat in eis cultum exercere nisi prius ritu paenitentiali ad normam librorum liturgicorum iniuria reperetur.

Can. 6 quater

Dedicationem vel benedictionem amittunt loca sacra si magna ex parte delecta fuerint, vel ad casus profanos permanenter de facto vel decreto Ordinarii loci reducta.

2) Textus Rev.mi tertii Consultoris:

Can. 6 bis

§ 1. In loco sacro ea tantum admittantur quae cultui pietati religioni exercendis vel promovendis inserviunt ac vetatur quidquid a loca sanctitate absonum sit vel sacrum eiusdem finem excedunt.

§ 2. Quoties locus sacer iudicio Ordinarii graviter violatus ac publicum scandalum inde exortum sit, violatio publica ac congrua expiatione reparetur.

Can. 6 ter

Dedicationem vel benedictionem loca non amittunt nisi in usum profanum legitime redacta sint.

Post breve aliquod examen harum formularum, proceditur per partes et quaeritur:

a) Quinam textus haberi placeat ut basis ad conficiendam normam circa sacrailitatem locorum tuendam.

Maior pars Consultorum (placet 4; non placet 3) seligit formulam Rev.mi tertii Consultoris, scilicet:

« In loco sacro ea tantum admittantur quae cultui pietati religioni exercendis vel promovendis inserviunt ac vetatur quidquid a loci sanctitate absonum sit vel sacrum eiusdem finem excedunt ».

De sententia Exc.mi Secretarii et Rev.morum quinti et secundi Consultorum, verba « cultui, pietati, religioni » videntur nimis restrictiva, contradicentibus vero aliis Consultoribus, qui censem illa verba non esse restrictiva, quia sub nomine « pietas ac religio » veniunt alia quoque quae promotionem humanam sensu christiano respiciunt.

Post brevem discussionem vero omnes Consultores, exceptis Rev.mis sexto et tertio Consultoribus, aliquod temperamentum addere volunt in canone et ideo formula ita in fine mutatur ac completetur: « ..., quidquid a sanctitate loci absonum sit. Ordinarius vero loci per modum actus alios usus, sanctitati loci non contrarios, permittere potest ».

b) Quinam textus haberi placeat uti basis ad conficiendam normam de violatione locorum sacrorum: fere omnes Consultores seligunt formulam Exc.mi Secretarii, scilicet:

« Loca sacra violentur per actiones graviter iniuriosas cum scandalo fidelium ibi positas, quae, de iudicio Ordinarii loci, ita graves et sanctitati loci contrariae sint, ut non liceat in eis cultum exercere nisi prius ritu paenitentiali ad normam librorum liturgicorum iniuria reparetur ».

Proponentibus Rev.mis quinto et tertio Consultoribus dici debet « donec » loco « nisi prius ».

Rev.mus sextus Consultor animadvertisit violationem esse aliquid obiectivum, ex facto iniurioso proveniens, ideo omitti debent verba « de iudicio Ordinarii loci ». Sed alii Consultores non ita censem, cum ipsi illam violationem volunt iuridice considerare quae ab Ordinario loci habeatur gravis et scandalosa; aliae violationes, etsi graves, non pariunt effectum iuridicum circa actus cultus non exercendos donec reconciliatio fiat.

Deinde fit suffragatio utrum placeat formula canonis necne:

Placet 4; non placet 3.

c) Quinam textus haberi placeat ut basis ad conficiendam normam de execratione locorum sacrorum: fere omnes Consultores seligunt formulam Exc.mi Secretarii, scilicet:

« Dedicationem vel benedictionem amittunt loca sacra si magna ex parte destructa fuerint, vel ad casus profanos permanenter de facto vel decreto Ordinarii loci reducta ».

Rev.mi sextus et tertius Consultores delere vellent verbum « de facto », ut vitentur abusus in hac materia; quis enim malitiose provocare posset usum profanum alicuius loci ad habendum effectum execrationis. Sed aliis Consultoribus non placet delere verbum « de facto », quia norma haec non vult declarare legitimatem vel illegitimatem illius casus profani, sed tantum effectus iuridicos illius usus profani decernere, quod scilicet illa loca amittunt dedicationem vel benedictionem ipso facto quod ad usos profanos permanenter adhibita sint.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut canon ita mutetur: « ... si magna ex parte destructa fuerint vel ad usus profanos permanenter decreto competentis Ordinarii vel de facto reducta ».

Propositio haec omnibus placet.

Can. 7 (CIC 1160)

Auctoritatis ecclesiasticae est propriam potestatem regiminis in locis sacris libere exercere.

Suggestum est a nonnullis Organis consultationis ut canon deleatur. Etiam Exc.mus Secretarius et Rev.mi sextus, tertius et secundus Consultores censem canonem, uti iacet, esse inutilem, quare vel supprimi vel recognosci debet.

Rev.mi quintus et primus Consultores vero censem canonem esse retinendum, quia vindicat ius Ecclesiae ad propriam libertatem et autonomiam in locis sacris.

Post brevem discussionem, Consultoribus placet recipere suggestionem alicuius Organi consultationis ut nempe canon ita redigatur ut appareat ius Ecclesiae libere exercendi in locis sacris totam suam potestatem quoad munus regendi, sanctificandi et docendi.

Ideo canon ita redigitur:

« Potestatem sacram auctoritas ecclesiastica in locis sacris libere exercet ».

Fit suffragatio utrum placeat haec formula necne:

Placet 6; non placet 1.

TITULUS I
DE ECCLESIIS

Can. 8 (CIC 1161)

Ecclesiae nomine intelligitur aedes sacra divino cultui dedicata ad quam omnibus fidelibus ius sit adeundi ad divinum cultum publicum exercendum.

Nonnullis minus placuit nova notio « ecclesiae », in qua comprehenduntur quae in CIC veniunt sub nomine sive « ecclesiae » sive « oratorii publici ». Consultores autem retinere volunt hanc novam notionem « ecclesiae », attento etiam consensu fere unanimi quam Organa consultationis manifestarunt circa hanc quaestionem.

Suggestum est ut omnes ecclesiae rationem personae iuridicae sortiantur ex ipso iuris praescripto, sed Consultores censem hanc concessionem personalitatis ex ipso iure non esse opportunam sive quia aliquando ecclesiae

pertinent ad alias personas iuridicas (Rev.mo tertio Consultore), sive quia valde difficile esset recensire in Codice omnes personas iuridicas (Exc.mo Secretario).

Suggestum est ut in can. 8 non dicatur de « iure » fidelium adeundi ad ecclesiam, propter abusus et contestationes quae evenire possent. Consultoribus non videtur difficultatem urgeri posse, quia omne ius ad normam iuris exercendum est et ideo repelli semper possunt abusus et contestationes. Attamen alia accedit ratio sustinendi illud verbum « ius », quia scilicet distinctio inter ecclesias et oratoria in novo iure provenit ex eo quod fideles habeant vel non habeant *ius* illa adeundi.

Suggestum est ut dicatur « destinata » loco « dedicata » (placet omnibus).

Consultoribus placet delere verbum « omnibus », quod superfluum videtur.

Nonnulli suggesserunt ut deleatur verbum « publicum », sive quia multum nunc disputatur de notione « cultus publici », sive quia non aequum videtur limitare ius fidelium adeundi ecclesiam tempore tantum divinorum officiorum.

Suggestio haec placet Consultoribus, qui ita formulam canonis mutant « ... ius sit adeundi ad divinum cultum praesertim publice exercendum ».

Adunatio IV^a
die 4 octobris 1979 habita

Huic adunationi praeest Em.mus Cardinalis Praeses.

Can. 9 (CIC 1162)

§ 1. Nulla ecclesia aedificetur sine expresso Ordinarii loci consensu scriptis dato quem tamen Vicarius Generalis vel Vicarii Episcopales prae-stare nequeunt sine mandato speciali.

§ 2. Ordinarius loci consensum ne praebeat nisi, auditis vicinarum eccliarum rectoribus, censeat novam ecclesiam bono animarum inservire et media necessaria ad cultum divinum sustentandum non esse defutura.

§ 3. Etiam Instituta vitae consecratae, licet consensum constituendae novae domus in dioecesi vel civitate ab Ordinario loci retulerint, ante-

quam tamen ecclesiam in certo ac determinato loco aedificant, Ordinarii loci licentiam obtinere debent.

De sententia cuiusdam Organi consultationis non est ratio coarctandi facultatem Vicarii Generalis, uti fit in § 1. Consultoribus vero opportunum videtur ut consensus aedificandi novam ecclesiam in dioecesi reservetur Episcopo dioecesano.

Ad formulam § 1 quod attinet, Consultores ita illam, communi consilio, mutant:

« Nulla ecclesia aedificetur sine expresso Episcopi dioecesani consensu scriptis dato ».

Suggestum est ut dicatur « licentia » loco « consensu ». Consultores vero praferunt verbum « consensus ».

In § 2 dici debet « Episcopus dioecesanus » loco « Ordinarius loci ».

Nonnullis opportunum videtur ut Episcopus praeter rectores vicinarum ecclesiarum, etiam alios audiat antequam consensum praebeat de nova ecclesia aedificanda. Suggestio placet Consultoribus, qui ita formulam mutant:

« ... nisi, auditio consilio presbyterali et vicinarum ecclesiarum rectoribus, censeat ... ».

Quibusdam minus placuit locutio « cultum divinum *sustentandum* », quae habetur in § 2. Alii suggesserunt ut dicatur « ad ecclesiae aedificationem et *conservationem*, necnon ad divinum cultum ... ».

Consultores, collatis consiliis, ita formulam redigunt: « ... censeat novam ecclesiam ... et media, ad ecclesiae aedificationem et ad cultum divinum necessaria, non esse defutura ».

De § 3 quaedam animadversiones factae sunt sive circa redactionem canonis eo quod non clara videntur verba « in certo ac determinato loco », sive circa ipsam normam eo quod non necessaria videtur nova licentia pro ecclesiae aedificatione, quando iam consensus constituendae novae domus Institutum vitae consecratae obtinuerit.

Consultoribus vero placet formula canonis uti est; ipsi enim censem duos actus formaliter diversos haberi, consensum scilicet constituendi novam domum et licentia aedificandi ecclesiam. Quae licentia ecclesiae aedificandae respicit etiam locum, quia alius potest esse locus domus religiose et alius locus ecclesiae.

In § 3 dici debet: « *Episcopi dioecesanti* licentiam obtinere debent ». Utrum etiam dici debeat « ab *Episcopo dioecesano* retulerint », loco « ab *Ordinario loci* » necne, videbitur quando res definita fuerit in parte de *Institutis vitae consecratae*.

Nonnulli suggesserunt ut addatur canon circa formas et leges servandas in ecclesiarum aedificatione et refectione. Cum propositio haec placat Consultoribus, Rev.mus tertius Consultor proponit hanc formulam canonis:

« In ecclesiarum aedificatione et refectione, adhibito peritorum consilio, serventur principia a traditione recepta necnon sacrae liturgiae et artis sacrae leges ».

Omnis Consultores, excepto Rev.mo sexto Consultore, crism movent de verbis « principia a traditione recepta », quae nimis restrictiva videntur, ita ut excludantur formae quae magis culturis et ingenio populorum respondent. Qua de causa formula ita mutatur: « ... serventur principia et normae liturgiae et artis sacrae ».

Can. 10 (CIC 1163)

Benedicere et imponere primarium ecclesiae lapidem, ad eos spectat, de quibus in can. 3.

Nonnulli suggesserunt ut hic canon deleatur, cum benedictio primariae ecclesiae lapidis habeat indolem mere liturgicam.

Consultores, attentis normis quae circa hanc rem prostant in novo *Ordo dedicationis ecclesiae*, concordant ut hic canon deleatur.

Ideo fit suffragatio utrum placeat delere canonem necne:
Placet 6; sese abstinent a sententia ferenda 2.

Attentis suggestionibus, a quibusdam Organis consultationis factis, Consultores sequentes canones redigunt et approbant:

Can. 10

§ 1. Aedificatione rite peracta, nova ecclesia quamprimum dedicetur aut saltem benedicatur, sacrae liturgiae legibus servatis.

§ 2. Solemni ritu dedicentur ecclesiae, praesertim cathedrales et paroeciales.

Can. 10 bis

Unaquaeque ecclesia suum habeat titulum, qui, peracta ecclesiae dedicatione, mutari nequit.

Can. 11 (CIC 1169)

§ 1. Cuilibet ecclesiae campanas consecratas vel benedictas esse convenient quibus fideles ad divina officia aliosque religionis actus invitentur, quarumque usus unice subest ecclesiasticae auctoritati.

§ 2. Ecclesiarum campanae ad usus mere profanos adhiberi nequeunt, nisi ex causa necessitatis aut ex licentia Ordinarii aut denique ex legitima consuetudine.

Suggestum est ut hic canon deleatur, cum norma de campanis non tam momentosa videatur ut in Codicem inseri debeat. De campanis sufficiientes erunt normae quae in libris liturgicis habebuntur. Omnes Consultores concordes sunt ut canon deleatur.

Can. 12 (CIC 1171)

In sacra aede legitime dedicata omnes actus cultus divini possunt, salvis iuribus paroecialibus, privilegiis et legitimis consuetudinibus; Ordinarius autem, praesertim horas sacrarum functionum, potest, iusta de causa, praefinire, dummodo ne agatur de ecclesia quae ad Institutum clericale vitae consecratae exemptum pertineat.

Suggestum est ut dicatur: « In ecclesia legitime dedicata vel benedicta omnes, etc. ... ». (Omnibus placet).

Quibusdam minus placuit quod in canone salva fiant privilegia et legittimae consuetudines, quia haec omnia nihil conferunt bono animarum.

Consultores non idem sentiunt, attamen censem illam cautionem (« salvis privilegiis et legitimis consuetudinibus ») supprimi posse, quia privilegia et consuetudines semper, quin expresse dicatur, vigent, dummodo sint legitima.

Circa aliam partem canonis Exc.mus Secretarius censem ipsam omitti posse, cum adsit canon generalis qui confert Episcopo dioecesano potestatem moderandi liturgiam ad normam iuris. Alii Consultores autem non ita sentiunt et volunt aliam partem canonis servare, adhibita tamen generalio-

re formula his verbis: « ...; Ordinarius autem loci normas hac in re dare potest ».¹

**Adunatio V^a
die 5 octobris 1979 habita**

Can. 13 (CIC 1178)

Curent omnes ad quos pertinet, ut in ecclesiis illa munditia servetur, quae domum Dei decent, mediaque securitatis adhibeantur ad bona sacra et pretiosa tuenda atque ab iisdem ecclesiis arceatur quidquid a sanctitate loci absonum sit.

Nonnulli suggesserunt ut hic canon deleatur, quia norma obvia videatur. Consultores autem concordant circa opportunitatem servandi huiusmodi normam in Codice.

Suggestum est ut materia huius canonis per duas §§ disponatur. Rev.mi tertius, secundus et quartus Consultores accedunt huic propositioni, sed alii praefrerunt unam § tantum.

Exc.mus Secretarius proponit ut formula canonis ita mutetur:

« Curent omnes ad quos pertinet ut in ecclesiis illa munditia ac decor serventur, qui domum Dei decent et ab iisdem arceatur quidquid a sanctitate loci absonum sit. Ad bona sacra et pretiosa tuenda opportuna securitatis media adhibeantur ».

Fit suffragatio utrum placeat haec formula necne:

Omnibus placet.

Nonnulli petierunt ut canon iste contineat normas etiam de custodia SS.mae Eucharistiae, necnon de sede ad sacramentales confessiones audiendas.

Consultores respondent de hac materia haberi oportunas normas in Sectione « De Sacramentis ».

Can. 14 (CIC 1179)

Qui ad aliquam ecclesiam aliumve locum sacrum ad asylum obtainen-

¹ Consultores die 6 decembris 1979 haec verba suppresserunt.

dum confugerint extrahendi non sunt sine assensu competentis auctoritatis ecclesiasticae.

Perplures animadversiones contra hunc canonem factae sunt eo quod sustinet ius asyli, quod de facto minime agnoscitur a legibus civilibus. Ceterum Ecclesia non indiget hoc iure ut exsistat, ideo potest canon supprimi. Attentis istis suggestionibus, placet Consultoribus canonem delere.

Can. 15 (CIC 1181)

Ingressus in ecclesiam tempore sacrarum functionum sit liber et gratuitus, reprobata qualibet contraria consuetudine.

Suggestum est ut deleantur verba « tempore sacrarum functionum ». Suggestio non placet Consultoribus, quia dari possunt casus in quibus, extra temporem sacrarum celebrationum, ingressus non sit gratuitus pro illis qui ratione artis accedunt.

Consultores decernunt ut dicatur « sacrarum celebrationum » loco « sacrarum functionum ».

Nonnulli proposuerunt ut addatur ingressum in ecclesiam esse liberum et gratuitum fidelibus *ob cultum et pietatem adeuntibus*, ita ut rector ecclesiae moderari vel vetare possit ingressum eorum qui aliam ob causam (ex. gr. turistae) ad ecclesiam adeunt tempore sacrarum celebrationum.

Consultores censem talem additionem esse superfluam, quia rectores ecclesiae tale ius habent moderandi ingressum in ecclesiam, quin expresse dicatur.

Suggestum est ut deleatur clausula « reprobata qualibet contraria consuetudine », quia non constat adesse abusus hac in re.

Propositio placet Consultoribus.

Can. 16 (CIC 1187)

§ 1. Si qua ecclesia nullo modo ad cultum divinum adhiberi queat et possibilitas non datur eam reficiendi, in usum profanum ab Ordinario loci redigi potest.

§ 2. Item si Ordinarius loci iudicat bono animarum magis proficere ut aliqua ecclesia ad cultum publicum non amplius adhibeat eam in usum profanum redigere potest, de consensu eorum qui iura in ea sibi legitime vindicant.

In § 1 dici debet « detur » loco « datur ».

Plures petierunt ut repristinetur vetitum redigendi ecclesiam in usum *sordidum*. Omnes Consultores idem sentiunt, excepto Rev.mo tertio Consultore, qui censem tale vetitum esse aliquid formalisticum, quod saepe saepius decipitur.

Consultores, suggestiones quorundam Organorum consultationis recipientes, ita § 2 redigunt:

« Ubi aliae graves causae suadeant ut aliqua ecclesia ad divinum cultum non amplius adhibeat, eam Ordinarius loci, auditio consilio presbyterali, in usum profanum non sordidum redigere potest, de consensu eorum qui iura in eadem sibi legitime vindicant, et dummodo animarum bonum inde detrimentum ne capiat ».

TITULUS II

DE ORATORIIS ET DE SACELLIS

Can. 17 (CIC 1188)

Oratori nomine intelligitur locus divino cultui, in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium, de licentia Ordinarii destinatus, ad quem etiam alii fideles de consensu Superioris competentis accedere possunt.

Suggerente Exc.mo Secretario, rubrica huius Tituli ita mutatur: « De oratoriis et de sacellis *privatis* ».

De sententia alicuius Organi consultationis distinctio inter « oratorium » et « sacellum » arbitraria videtur si ad grammaticam attendatur. Consultores convenient tales denominaciones esse conventionales, censem tamen ipsas tuto adhiberi posse cum habeant solidum fundamentum obiectivum. Consultores praeterea sustinendam esse censem notionem sive ecclesiae, sive oratorii, sive sacelli, prout habetur in schemate, quia talis distinctio, in schemate delineata, fere omnibus Organis consultationis placuit.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut in can. 17 dicatur « ab Ordinario destinatus » loco « de licentia Ordinarii destinatus »; sed alii Consultores praeferunt ut canon maneat uti est.

Can. 18 (CIC 1188)

Nomine sacelli privati intelligitur locus divino cultui, in commodum unius vel plurium personarum physicarum, destinatus.

De sententia cuiusdam Organi consultationis, locus de quo in praesenti canone non potest haberi uti sacer, quia desunt aliqua elementa in can. 1 requisita ad sacertatem alicuius loci.

Consultores respondent sacellum esse locum sacrum si accedat beneficio, secus non esse locum sacrum.

Exc.mus Secretarius animadvertisit necessarium esse aliquem interventionum Ordinarii ad hoc ut constitutio sacelli habeat suam vim in iure. Cum alii Consultores concordent, adduntur in canone haec verba: « ... in commodum ... personarum physicarum, de licentia Ordinarii loci, destinatus ».

Suggestum est ut can. 18 collocetur post can. 20.

Propositio omnibus placet.

Can. 19 (CIC 1192)

§ 1. Ordinarius licentiam ad constituendum oratorium requisitam ne concedat, nisi prius per se vel per alium oratorium visitaverit et decenter instructum repererit.

§ 2. Data autem licentia, oratorium ad usus profanos converti nequit sine eiusdem Ordinarii auctoritate.

De hoc canone non factae sunt animadversiones.

Can. 20 (CIC 1193)

In oratoriis legitime constitutis omnia divina officia functionesve ecclesiasticae celebrari possunt, nisi obstent normae liturgicae aut Ordinarius aliqua exceperit.

Consultores, collatis consiliis, ita formulam canonis mutant:

« In oratoriis legitime constitutis omnes celebrationes sacrae peragi possunt, nisi obstent normae liturgicae aut Ordinarius aliqua legitime exceperit ».

Can. 21 (CIC 1189)

Sacella privata S. R. E. Cardinalium et Episcoporum sive residentialium sive titularium eodem iure quo oratoria reguntur.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut hic canon recognoscatur ita ut appareat Cardinales et Episcopos non indigere licentia Ordinarii loci ad sacellum constituendum. Cum propositio haec omnibus placeat, formula canonis communi consilio ita redigitur:

« S.R.E. Cardinales et Episcopi sacellum privatum sibi constituere possunt quod iisdem iuribus ac oratorium gaudet ».

Can. 22 (CIC 1195)

Ad missas vel ad functiones ecclesiasticas in sacello privato celebrandas requiritur licentia Ordinarii loci.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut canon ita redigatur:

« Missa aliaeve sacrae celebrationes in sacello privato celebrare nequeunt nisi de licentia Ordinarii loci ».

Sed alii Consultores praeferunt formulam schematis ita emendare:

« Ad missam aliasve sacras celebrationes in sacello privato peragendas requiritur Ordinarii loci licentia ».

Can. 23 (CIC 1196)

Decet ut sacella privata benedictione congrua donentur; debent autem esse divino tantum cultui reservata et ab omnibus domesticis usibus libera.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut prima pars canonis ita recognoscatur: « Oratoria et sacella privata benedici convenit secundum ritum in libris liturgicis praescriptum; debent autem, etc. ... ».

Propositio haec placet omnibus.

Adunatio VI^a

die 6 octobris 1979 habita

TITULUS III

DE SANCTUARIIS

Can. 24 (novus)

Sanctuarii nomine intelliguntur aedes vel loca sacra divino cultui publice exercendo dicata, ad quae ob peculiarem pietatis causam, v. gr. ob religiosas memorias, ob imaginem sacram ibi veneratam, ob reliquiam insi-

gnem ibi asservatam, ob miraculum ibi patratum, fideles, approbante auctoritate ecclesiastica competente, accurrunt.

Unum tantum Organum consultationis censuit novum titulum « De Sanctuariis » non esse necessarium neque opportunum in novo Codice. Consultores autem, attento etiam consensu fere unanimi ab Organis consultationis expresso, concordant circa opportunitatem edendi peculiares normas de sanctuariis.

Circa definitionem sanctuarii, quae praebetur in can. 24, nonnullae animadversiones factae sunt quae ad sequentia capita attinent:

a) ut dicatur « *ecclesia* vel *loca sacra* divino cultui dicata... », Suggestio Consultoribus placet ut nempe dicatur « *ecclesia* » loco « *aedes* ». Exc.mus Secretarius proponit ut deleantur verba « divino cultui publice exercendo dicata », quia pertinet ad notionem « *loci sacri* » ut sit dicatus divino cultui. Haec propositio omnibus placet.

b) ut omittantur exempla relata in canonem (« ob religiosas memorias, ob imaginem sacram, etc... »).

Consultores idem sentiunt.

c) ut innuatur de frequentia fidelium accurrentium in sanctuarium necnon de ipsorum animo peregrinandi. Haec suggestio placet Consultoribus.

d) ut determinentur aliqui fines peculiares ad quos attingendos sanctuaria constituuntur, ex. gr. cultum divinum promovendum, aedificationem christifidelium assequendam ope paenitentiae, laetitiae, orationis et professionis fidei.

Rev.mus tertius Consultor talem suggestionem approbat et sequentes fines sanctuarii ipse recensire vellet: vita spiritualis reficienda, vota solvenda, gratiae impetranda, paenitentia agenda. Alii Consultores vero praeferrunt ut non recenseantur fines, quia periculum est ut talis recensio non sit completa.

e) ut mentio fiat de interventu Ordinarii loci in constitutione sanctuarii, Rev.mus quintus Consultor censet hanc mentionem non esse necessariam quia generatim interventus auctoritatis ecclesiasticae accedit post factum, postquam scilicet, ob eventum aliquod extraordinarium, instauratur ille concursus fidelium in quo consistit ratio peculiaris sanctuarii. Alii Consultores, etsi admittant talem chronologice esse seriem factorum quibus adscribi debet origo sanctuarii, censem tamen necessariam esse ap-

probationem auctoritatis ecclesiasticae ut sanctuarium legitime consistere possit.

Omnibus his disceptatis, formula canonis ita redigitur:

« Sanctuarii nomine intelliguntur ecclesia vel alias loci sacer ad quos ob peculiarem pietatis causam fideles frequentes, approbante Ordinario loci, peregrinantur ».

Can. 25 (novus)

§ 1. Ut sanctuarium dici possit nationale accedere debet approbatio Conferentiae episcopalnis; ut dici possit internationale requiritur approbatio Sanctae Sedis.

§ 2. Quod si id exigant rationes loci et frequentia peregrinantum ad sanctuarium, quaedam exemptiones eidem concedi poterunt.

Rev.mi sextus et tertius Consultores transferre vellent § 1 ad canonem praecedentem, sed alii Consultores sunt contraria.

Quoad § 2 omnes Consultores collocare illum volunt tamquam can. 26 bis, hac formula adhibita:

« Sanctuariis quaedam privilegia concedi poterunt, quoties locorum circumstantiae, peregrinantum frequentia et praesertim fidelium bonum id suadere videantur ».

Can. 26 (novus)

§ 1. Ad condenda statuta sanctuarii dioecesani, competens est Ordinarius loci; ad statuta sanctuarii nationalis Conferentia episcopalnis; ad statuta sanctuarii internationalis sola S. Sedes.

§ 2. In his statutis determinentur praesertim finis, auctoritas rectoris, proprietas et administratio bonorum, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie.

Suggestum est ut in § 1 dicatur « approbanda » loco « condenda ». Propositio placet Consultoribus.

Exc.mus Secretarius proponit ut in canone statuatur obligatio pro omnibus sanctuariis habendi propria statuta, sed alii Consultores sunt contraria.

Proponente Rev.mo tertio Consultore, in § 2 deletur verbum « his ».

De sententia Rev.mi tertii Consultoris praecepsum determinandi in statutis « finem » sanctuarii videtur aliquid artificiale et formalisticum;

Rev.mus sextus Consultor e contra censem dari revera posse finem peculiarem alicuius sanctuarii in ambitu finium generalium omnium sanctuariorum.

Rev.mus tertius Consultor item censem non pertinere ad statuta aliquid decernere circa proprietatem bonorum sanctuarii, contradicentibus autem aliis Consultoribus, quibus norma canonis placet.

Suggestum est ut deleantur verba « exclusa qualibet commercia vel negotiationis specie », quae non videntur apte congruere cum contextu huius canonis. Propositio omnibus placet.

Cum plura sanctuaria concredita sint curae Institutorum vitae consecratae, suggestum est a nonnullis ut determinentur iura ipsorum Institutorum necnon relationes cum Ordinario loci.

Rev.mus tertius Consultor approbat talem suggestionem et petit ut relationes cum Ordinario loci sedulo determinentur, praesertim quod attinet ad statuta sanctuarii, utrum scilicet competit Instituto vitae consecratae an Ordinario loci alia condere.

Exc.mus Secretarius et Rev.mus secundus Consultor, quibus etiam alii Consultores accedunt, censem tales determinationes non esse necessarias, quia etiam quoad sanctuaria relationes inter Ordinarium loci et Instituta vitae consecratae accommodandae sunt ad normas generales.

Can. 27 (novus)

In sanctuariis suppeditentur fidelibus abundantiora media salutis, apte fovendo vitam liturgicam et sacramentalem.

Plures animadversiones factae sunt circa redactionem huius canonis eo quod locutiones « abundantiora media salutis » et « vitam liturgicam et sacramentalem » non idoneae appareant ad circumscribendam quandam curam pastoralem quae sit peculiaris pro sanctuariis.

Suggestum est ut in canone commendentur « vita liturgica et pietatis exercitia », vel « praedicatio verbi Dei », vel « copia confessariorum », vel « activitas pastoralis quae sit coordinata cum activitate dioecesana », etc.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut commendetur apta ratio agendi pastoralis praesertim quoad praedicationem verbi Dei, celebrationem sacramentorum, potissimum SS. Eucharistiam et Paenitentiam, et ordinatam pietatem popularem.

Consultores, post brevem disceptationem, collatis consiliis, ita formulam canonis redigunt:

« In sanctuaris abundantius fidelibus suppeditentur media salutis, verbum Dei sedulo annuntiando, vitam liturgicam praesertim per Eucharistiae et Paenitentiae celebrationem apte fovendo, necnon probatas pietatis popularis formas rite colendo ».